

„Servetur dispositio Caeremonialis lib. I. cap. VII. num. 1, pluribus hujus S. C. Decretis confirmata.“

Atque ita responderunt et statuerunt. n. 4590 ad 12 die 17. Septembris 1822.

Facta autem de praemissis SSmo. D. N. Pio VII. P. M. relatione per infrascriptum Secretarium, S. S. benigne approbavit Decretumque desuper expediri et publici juris fieri mandavit; Locorum Ordinariis stricte praecipiens, ut omnimodam illius observantiam urgeant. Die, Mense et Anno, quibus supra.

NOTA GARDELL. AD HOC DECRETUM:

Tam clara est dispositio Caeremonialis *lib. 1 cap. 7* de Presbytero assistente, dum Episcopus Vesperas et Missas solemniter celebrat, ut nihil sit, quod elucidationem requirat. Tenetur namque Assistens librum supra caput sustinere dum Episcopus antiphonam *intonaturus* est, vel in Missa, dum *cantu* dat initium hymno angelico, symbolo etc. Legem Caeremonialis pluries confirmavit S. R. C. praesertim vero *Pharen. 31. Maji 1670.* Asculana in Apulia 3. *Mart. 1774.* Spoletana 18. *Mart. 1702.* Lunen. Sarzanen. 27. *Febr. 1712.* Quinimo nec prodesse declaravit quamlibet consuetudinem in contrarium in Alexandrina 8. *Apr. 1702.*

n) Tenet libr., dum incens. altare.

Prima Dignitas (Presbyter) assistens sustinere debet Missale, dum in missa ab Episcopo thurificatur altare. n. 3625 ad 3 die 8. *Apr. 1702;* n. 3674 ad 2 die 23. *Febr. 1704.*

5) Presbyteri.

Ad dubium: an Plebano Ecclesiae Piscen, dum canit missam, liceat uti assistente pluviali induto? S. C. resp.:

licere attenta consuetudine. n. 2630 ad 1 die 6. *Maji 1673.*

Cum Episcopus Pistorien. et Praten. exposuerit, occasione compilationis Dioecesanæ Synodi comperisse ab usum, quo simplices Sacerdotes Missam solemnem celebrantes, etiam in Dioecesi ad eorum libitum ultra Diaconum et Subdiaconum, sub praetextu immemorabilis consuetudinis, adhibent Presbyterum sibi cum pluviali assistentem: cumque S. R. C. enixe supplicaverit pro declaratione hujusmodi Dubii: An usus praedictus sit permittendus, ut simplices Sacerdotes Civitatis et Dioecesis Pistorien. et Praten. praeter Diaconum et Subdiaconum adhibeant in Missa solemniter Presbyterum assistentem?

Eadem S. C. inhaerendo aliis Resolutionibus in Similibus editis: „Praefatum usum nequaquam permittendum, sed omnino tamquam ab usum prohibendum esse mandavit.“

Et ita decrevit. n. 3946 die 15. *Martii 1721.*

Ad dubium: Utrum Sacerdos a Vicario Apostolico morti proximo electus ad regimen provisorium Vicariatus, et deinceps a S. C. de Propaganda fide renunciatus superior interim Vicariatus ipsius, in tantum, et ratione hujusmodi delegationis, jus habeat exigendi in celebratione Missae solennis honorem Presbyteri assistentis et Palmatoriae?

S. eadem C.: „Negative in omnibus“ respondendum censuit. n. 5211 ad 5 die 21. *Julii 1855.*

6) Presbyteri caecutientis.

Vd. *Sacerdos caecut.* (decr. n. 4594 ad XI.)

7) Presbyteri noviter consecrati.

Vd. *Cappa Canon. Cath.* (decr. n. 4536.)

MATHELICEN.

S. R. C. pro opportuna solutione sequentia Dubia proposuit Aloysius

Carbonari Sacerdos Cong. Oratorii Mathehlicen. nimirum:

1. An celebrante solemniter prima vice novo Sacerdote Patrinus seu Presbyter assistens possit in Dominicis antea aspergere Populum Aqua benedicta, ac deinde ad Sacristiam accedere et Sacerdotem ipsum ad Altare adducere cum Ministris?

2. An subtus Pluviale ipse Patrinus possit Stulam gestare, ac Fidelibus cum Patena ministrare, quoties Eucharistica Communio instituenda est?

3. An Patrinus debeat, vel saltem possit Celebrantem incensare loco Diaconi?

Et S. eadem C. ad Vaticanum hodierna die in Ordinario Coetu coadunata, referente Secretario, rescripsit:

Ad I. „Negative in omnibus.“

Ad II. „Spectare ad Diaconum utrumque.“

Ad III. „Negative.“ n. 4807 die 11. *Mart. 1837.*

8) Presbyteri inhabilis.

Vd. *Sacerdos inhabilis.*

9) Quando incensat?

Vd. *Assistens Presbyteri novit. consecrati.*

ASSISTENTES.

1) Episcopi assistentis.

Vd. *Episcopus assist. missae sol.; Pax Episcopi Titularis.*

2) In Solio Pontificio.

Urbis.

COLLEGIUM EPISCOP. ASSISTENTIUM.

Cum de Ordine inter Episcopos Pontificio Solio Assistentes servando quaestio haud ita pridem orta fuerit: utrum nempe a sua ad Episcopatum promotione, an potius a vocatione, quam dicunt, ad assistentiam, praecedendi jus iidem nanciscantur, de quo praescriptio, quae a Caeremoniali S. R. E. lib. 3. cap. 17. profertur, ambigendi

locum relinquit, praeces ad SSmum. D. N. Pium VII. P. M. perlatae sunt, ut, ad omnem dubitationem tollendam, pro ea, qua praestat, sapientia et auctoritate, de controversia decerneret, legemque in posterum tenendam pronuntiaret. Re itaque ipsius jussu ad S. R. C. delata, cunctisque infrascripto Secretario referente, ad eam probe aestimandam propositis rationibus, quae utrinque afferebantur, Emi. Patres eidem C. praepositi unanimes censuere: „Firmo extante praelationis jure Archiepiscoporum supra Episcopos, jus illud inter aequales a vocatione ad assistentiam, non autem a promotione ad Episcopatum esse repetendum; atque hanc Regulam in posterum omnino adhibendam esse, quoties sacris functionibus collegialiter intersunt, declararunt.“ Die 7. *Septbrs. 1816.*

Facta autem per infrascriptum S. R. C. Secretarium de praemissis SS. D. N. Relatione, Sanctitas Sua sensum S. C. approbavit, confirmavit atque ita in posterum servari mandavit. n. 4525 die 10. *Sept. 1816.*

ASSISTENTIA.

1) In Ecclesia parochiali.

Parochus non potest cessante speciali et legitimo titulo, ex solo jure parochialitatis Rectores et Cappellanos Ecclesiarum Confraternitatum compellere invitos ad assistendum functionibus Ecclesiae parochialis. n. 3670 ad 25. die 12. *Jan. 1704.*

TRANEN.

Ex asserta diuturna consuetudine pene immemorabili in Ecclesiis S. Sepulchri et S. Jacobi, vulgo di Barletta, intra fines Archidioecesis Tranen illud est in more positum, ut dum in Solemnioribus Missas Solemnes et Vesperas celebrent earum Rectores, praeter

Ministros inservientes, eis assistant alii sex Presbyteri Pluvialibus induti. Quum autem a consuetudine ista, quae nullo Apost. Indulto innititur, difficile admodum sit desistere absque Fidelium admiratione et scandalo, Rectores ipsi S. R. C. humillime rogarunt, ut eam confirmare dignaretur, adeo licite deinceps in ea perseverare valeant.

Et eadem S. C. ad Vaticanum hodierna die coadunata in Ordinariis Comitibus ad relationem infrascripti Prosecretarii, omnibus maturo examine perpensis, rescribendum censuit: „Permitti posse quoad Vesperas Solemnnes tantum. n. 5170 die 10. Jan. 1852.

2) Episcopi. (Obligatio.)

Vd. *Obligatio Episcopi celebrandi* (decret. n. 4565.)

De *Assistentia Cf.*:

Canonici parati; Diaconi assist.; Processio (Canon. par.); *Benedictio cum SSmo; Parochi; Missa convent.; Missa privata Episcopi; Canonici assist.; Vesperae Dignit.; Canonici Colleg. (ass. parati); Mandatum; Abbas; Episcopus assistens; Episcopus* (Consecratio).

ASSOCIATIO

1) Cadaverum.

Vd. *Sepultura* (associatio).

2) Cardinalis.

Vd. *Aspersorii porrectio Cardinal. Titul.*

3) Dignitatum.

Prior Collegiatae Lucanae in accessu et recessu Ecclesiae associari non debet a Canonicis usque ad aedes priorales. n. 3944 ad 2 die 15. Martii 1721.

Cf. *Usus Pontificalium.*

De *Associatione Cf.*:

Episcopus (accessus etc.); *Visitatio; Vicarius gener.; Laici* (associat.); *Magistratus* (praes. etc.); *Capitulum* (associat.); *Suffrag.*

(access.); *Episcopus* (associatio ad altare); *Dignitarii* (associatio); *Vicarius Capitul.*

ASSUMPTIO B. V. M.

1) Festum.

Episcopus s. Agathae exposuit, in civitate sua celebrari festum Assumpt. B. V. M. *cum duabus diebus immediate sequentibus* ad instar Festum paschale D. N. J. Chr. S. C. resp.; si duo sequentes dies celebrantur solemniter ex devotione populi cum *Officio tamen currentis diei* et prout praescribitur in Calendario romano, posse continuari; si vero Officium his diebus fit ut in die Assumptionis, nullo modo permittendum, sed Officium omnino recitari debere, prout praescribitur in Calendario romano. n. 939 die 22. Novbr. 1631. De Vesperis vd.: *Dedicat. Eccles.* (Vesp. etc. decret. n. 3556).

2) Missa.

Legitur in Missa Festi Assumptionis B. M. V., „Optimam partem elegit sibi Maria, quae non auferetur ab ea in aeternum.“ Queritur: an haec verba intelligantur de B. M. V., an de Maria, de qua in Ev. hujus diei, et consequenter: an caput sit inclinandum ad prolationem Nominis Mariae, nec ne?

Et S. eadem C... respondendum censuit:

„Inclinationem capitis non esse faciendam.“

Atque ita rescripsit ac servari mandavit. n. 4985 ad XI. die 7. Decbr. 1844.

De missa in vigil. Assumpt. B. V. M.

Vd. *Missa de B. M. V.* (quae missa.)

3) Octava.

Occurrente Octava Assumpt. B. V. M. cum Octava s. Clarae, Vd.: *S. Clara.*

4) Ut Titularis.

Ad dubium: an Titularis Ecclesia-

rum dedicat. sub titulo B. Mariae Angelorum, id est... Reginae Angelorum, non sit Assumptio ejusdem B. M. V., in qua ut Regina Angelorum supra omnes eorum Choros exaltata est? S. C. resp.: Celebrandum festum s. Mariae Angelorum in die Assumptionis cum Octava ejusdem. n. 3772 ad 2 die 14. Maji 1707.

5) Vesperae.

Vesperae secund. occurrent. cum 1. Vesp. Dedicat. Eccl., Vd. *Dedicatio Eccles.* (Vesp., decret. n. 3556).

ASTERISCUS.

(Non tollendus.)

Vd. *Alleluja* (quando non dicend.; decret. n. 4044); *Responsorium* (repetitio.)

ATRIUM.

(Ecclesiae.)

Vd. *Aqua bened. in heb. maj.* (decret. n. 4669 nota).

AUDITOR.

Auditor, quo loco sedeat etc.? Vd. *Canonici Ecclesiae Cath.*

S. AUGUSTINUS E. C.

(Oratio.)

S. C. resp. PP. Benedictinis Einsidl.: In festo s. Augustini C. E. dicenda est oratio de communi: *Exaudi, quaesumus Domine, preces nostras etc.* n. 4044 ad titu'. *de Oration.* de 5. Maji 1736.

AURORA.

Cf. *Missa* (hora.)

AUXILIUM CHRISTIANOR.

De festo sub hoc titulo et de verbis his in Lytaniis inserendis, Vd. *Lytaniae B. V. M.* (additio licita, decret. n. 4514.)

Decreta authentica.

AVE MARIA.

1) Additio.

In recitatione „*Ave Maria*“ non esse addenda verba „*plena doloribus*“, et hoc per Ordinarium omnino prohibendum. n. 1157 die 23. Maji 1639.

2) In Officio.

Vd. *Officium.*

AVE MARIS STELLA.

1) Cantus.

Hymnum praedictum esse canendum in tono B. V. M. etiam in octavis Assumptionis et Nativitatis B. V. n. 618 ad 1 die 28. Mart. 1626.

2) Genuflexio.

Quotiescunque decantabitur hymnus „*Ave maris Stella*“, debent non solum Canonici et reliqui de Capitulo, sed omnes et quotquot aderunt genuflectere, genuflexi persistere, donec quatuor primi versus *decantati* fuerint. n. 15 ad 19 die 16. Mart. 1591; n. 2345 ad 14 die 31. (Julii) 1665.

Ad dubium: an in hymno: *Ave Maris etc.* genuflectere intelligatur de tota strophā, scilicet usque ad aliam respective: *Sumens illud etc.*? S. C. resp.: Ad integram stropham. n. 2805 ad 7 die 14. Nov. 1676.

Vd. *Instructio Clem. §. XXIV.* n. 11; *Officium B. V. M.*; *Expectatio B. V. M.*

AVE REGINA.

Cf. *Suffragia* (decret. n. 3710).

Occurrente festo Purif. B. V. M. in Dominicis Septuagesim. vel similibus aliis privilegiatis, ita ut illius Officium ex hoc contingat transferri, non esse ob id protrahendam etiam Antiphonam: *Alma Redempt. etc.* sed die 2. Febr. post Completorium, illa dimissa, juxta

dispositionem rubricae sumendam esse antiphonam: *Ave Regina etc.* sublato quolibet alio difforni quarumcunque Ecclesiarum usu. n. 2938 die 11. Jan. 1681; n. 3301 ad 6 die 10. Januarii 1693; n. 3710 ad 1 die 14. Febr. 1705; n. 3718 ad 1 die 4. Apr. 1705.

AZYMUS.

Ad dubium: an presbyter graeci ritus, alter ex electis pro Mandato

fer. V. in Coena Domini possit et debeat s. refici Eucharistia cum aliis duodecim ritu latino in azymo? S. C. resp.: In casu, de quo agitur, affirmative. Et Sanctitas Sua decretum approbavit et quatenus opus sit, dispensandi jussit, ut presbyter graeci ritus in casu dumtaxat, de quo agitur, s. Eucharistiam sumat cum aliis duodecim presbyteris in azymo. n. 4546 die 25. Aug. 1818.

B.

BACULUS.

1) Abbatis.

(Vd. Mitra Abbatis in process.; Usus Pontifical.)

Abbati s. Salvatoris Ordinis Cisterc. Clusinae utenti baculo pastoralis absque velo S. C. resp.: Serventur decreta P. Alexand. VII. (de anno 1659). n. 3781 die 10. Mart. 1708.

Abbas Collegiatae Eccles. s. Spiritus Benevent. gaudens Usu baculi pastoralis, uti non potest baculo episcopali sed baculo abbatiali cum velo. n. 5065 ad 1 die 27. Febr. 1847.

2) Abbatissae.

Vd. *Abbatissa.*

3) Dignitariorum.

Vd. *Abbatissa; Usus Pontifical.* (decr. n. 4863 etc.)

Dignitas celebrans mitratus Cathedr. Panormitanae non potest uti baculo. n. 3052 ad 3 die 22. Apr. 1684.

Praepositus alicujus Ecclesiae non potest tuta conscientia etiam attenta

immemorab. consuetudine inter missarum solemnias uti baculo, nisi constituto sibi de speciali Sedis ap. indulto. n. 1834 die 4. Aug. 1657.

4) Episcopi.

a) In Ordinationibus.

Ad dubium: an quoties Episcopus sedens cum mitra admonensque Ordinandos debeat baculum in manu gestare, cum Pontificale solum loquatur in admonitione Presbyterorum? S. C. resp.: Servetur Pontif. roman., ut jacet. n. 3774 ad 4 die 27. Aug. 1707.

b) In Processione.

Cf. *Minister de baculo.*

Quoad baculi usum, etiam in processione SS. Sacramenti, servandum esse Caeremoniale Episcop. (Lib. I. c. XVII.) n. 1862 die 26. Jan. 1658.

5) Episcopi Administratoris.

Episcopus Administrator amovibilis Ecclesiae vacantis, dum cantat missas et vespas in Pontificalibus, potest

uti baculo. n. 3952 ad 2 die 22. Aug. 1722.

6) Ministri ecclesiastici.

Vd. *Clava.*

BALDACHINUM.

1) Abbatum et Priorum.

Vd. *Usus Pontificalium.*

Prior cum usu Pontificalium habere non potest Baldachinum super sedem suam. n. 291 die 28. Jan. 1606.

Abbatibus contenti esse debeant sua propria sede. sine baldachino desuper. n. 531 die 18. Mart. 1617.

Licere Abbatibus Olivetanis solemniter in tribus tantum anni festivitibus celebrantibus uti Baldachino, sine tamen auro et pompa. n. 804 die 17. Mart. 1629.

Licere Abbatibus Congreg. Camaldulens., quando solemniter celebrant, uti baldachino, sine auro tamen et pompa. n. 966 die 21. Aug. 1632.

Episcopo Eugubino S. C. facultatem tribuit, ut Auctoritate Congregationis in Ecclesia abbatialis s. Ubaldi sita extra civitatis moenia, Baldachinum abbatibus *semper* erectum (extra tres festivitates) amoveri jubeat et nisi Monachi paruerint, eos opportunis remediis compescat. n. 1830 die 30. Jun. 1657; n. 1835 die 4. Aug. 1657.

Monachis Cassinensibus, exceptis tribus tantum solemnitatibus, nunquam competere usum Baldachini et signanter nec in vestitione Monialium hujusmodi licere. n. 1949 die 7. Dec. 1658.

Licet Abbati Cassinensi in sua Ecclesia s. Vitalis erigere et retinere baldachinum etiam praesente Capitulo Ravennat. et seorsim ab eo canere primas Vesp. et missam sol. cum Pontificalibus, non interveniente tamen Archiepiscopo. n. 2468 die 16. Febr. 1669.

Ad praecavendas nunc et evitan-

das, immo prorsus eliminandas quas-cunque controversias, quae super intelligentia praedicti Decreti oriri unquam possent, S. D. N. Benedictus XIII. praesenti Decreto suo illud S. R. C. confirmando, et quatenus opus sit, declarando, mandat et praecipit, „quod existente in Civitate, vel in suburbiis, aut villis, Archiepiscopo, aut eo a Civitate et villis, sive suburbiis, immo et a Dioecesi absente, dummodo aut non possit, aut nolit memoratae functioni interesse, licet Capitulum Cathedralis Ecclesiae interveniat, in istis casibus erigi debeat baldachinum Abbatis Regularis S. Vitalis, etiam praesente ipso Capitulo, et functiones suas peragente, ipseque Archiepiscopus existens in Civitate vel in locis vicinis, teneatur saltem in pervigilio Festivitatis S. Vitalis hora compesenti, de mane tamen, certiore facere Abbatem sive Superiorem Monasterii S. Vitalis, utrum velit, nec ne, memoratis functionibus personaliter intervenire, ut eo interveniente, opportuno tempore baldachinum Archiepiscopi, vel eo nolente intervenire, illud Abbatis Regularis erigi possit, injungens Emo. et Rmo. D. Card. pro tempore Legato, ut executioni hujus Decreti Sanctitatis Suae, adhibitis etiam auctoritate sua juris remediis, sedulo incumbat.“ n. 3970 die 12. Martii 1727.

Non licet Monachis Monasterii s. Mercurialis erigere thronum ter in anno in eorum Ecclesia, sive Abbas nolit sive non possit Pontificalia exercere sive absit a Monasterio. n. 4036 ad 4 die 25. Junii 1735.

Abbas cum usu Pontificalium non potest in Ecclesiis Monialium, suo regimini subjectarum, erigere Baldachinum. n. 1516 die 2. Julii 1644.

2) Defunctorum.

Nulla modo convenire, cadaver Archiepiscopi defuncti ex Palatio per